

Alberti Ritter Lucubrationcula II. De alabastris Schwartzburgici.

Contributors

Ritter, Albrecht, 1683-1748.

Publication/Creation

[Halle] : [publisher not identified], [1732]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nxx5539k>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

7
ALBERTI RITTER

REGII GYMNASII
QUOD ILFELDÆ FLORET
CON-RECTORIS

LUCUBRATIUN-
CULA II.

DE
ALABASTRIS
SCHWARTZBURGICIS

CUI SUBNEXA EST
RERUM QUARUMDAM NATURALIUM
EJUSDEM TERRÆ
BREVIS DELINEATIO
INSCRIPTA

MAXIME REVERENDO AMPLISSIMO
DOCTISSIMOQUE

VIRO

M. JOANNI CHRISTOPHORO
OLEARIO

TEMPLI QUONDAM MONACHORUM DISCAL-
CEATORUM NUNC PRIMARI IN URBE ARNSTA-
DIO ARCHI-DIACONO DIGNISSIMO FIDELISSIMO CONSI-
STORII PRINCIPALIS ADSESSORI SPECTATISSIMO

FAUTORI SUO

MULTIS NOMINIBUS ÆTERNUM COLENDO HONORANDO.

ALBERT RITTER

REGI GYMNASII

GOOD WILDE HOFET

COMPTON

UCURATUN

CULA II.

ALABASTRIS

HWARTBURGICIS

CUI SUBNEVTEST

ERUM QUATUNDAM NATURALIUM

ILLUMINARE

ERET DELIBERATIO

INSCRIPTA

MAXIME REVERENDO AMPLISSIMO

DOCTISSIMO

VRO

CAANI CHRISTOPHORO

OLIVARIO

QUONDAM MONACHORUM DISCIPULI

TORUM NUNC TENUIT IN URBE ARISTATA

CAUSAM NUNC TENUIT IN URBE ARISTATA

CAUSAM NUNC TENUIT IN URBE ARISTATA

CAUSAM NUNC TENUIT IN URBE ARISTATA

CAUSAM NUNC TENUIT IN URBE ARISTATA



B. C. D.

§. I.

Superiore anno admonitus ab *Amico* quodam *mibi quam honoratissimo iucundissimoque* animum meum adpuli ad scribendum, et quidem tunc in lucem emisi *de Alabastris Hohnsteinensibus nonnullisque aliis eiusdem loci rebus naturalibus Lucubratiunculam*. Is vero labor, levis quamuis, a Naturae Amatoribus curiosisque Scrutatoribus benigne receptus quum fuerit, eodem *Amico* impulsore iterum adripui calamum ad satisfaciendum *ipsius* petitionibus, sperans fore, ut hic quoque labor Naturae Amatoribus, putantibus illam librum quasi apertum diuinæ esse potentiae, neque minus diuinæ existentiae, ipsosque ethnicos ad agnitionem Dei posse ducere, adrideat, inprimis *Tibi, Vir maxime Reuerende, Fautor* omni honoris cultu prosequende, qui iam diu exstitisti Naturae Aestimator incomparabilis, Scrutator acutissimus, et Diudicator acerrimus.

§. II.

Licebit vero iam nunc de priori argumento, nimirum de Alabastris quaedam proferre in medium, et quidem specia-

tim de *Alabastris Schwartzburgicis*, sicuti innotuerunt mihi; etenim censeo, me in hoc eo minus peccare, ac ipsa dicta Dominia inferiora regionum Schwartzburgicarum contermina sunt terris Hohnsteinensibus, etiamsi dicta Dominia superiora radicibus montium Thuringicorum fama celeberrimorum adiacere notum prouocatum est.

§. III.

In simul haud ingratum fore nonnullis hasce pagellas legentibus confido, quia in priori Lucubratiuncula multa disserui de alabastris generatione, usu, aliisque naturae et artis memorabilibus, quando et iam heic loci quaedam infero de alabastris praeparatione et politura, imprimis ea propter, quoniam artifices plerumque haec tamquam arcana mira celant fide.

§. IV.

Praeparatio alabastris ad polituram instituitur hoc modo; primum in desideratam debitamque formam aptatur alabastris, et vel ferra in tabulas ac tabellas defecatur, quae deinde extenuantur in lapide arenoso et aspero et subtiliore; tunc laeuigantur spongite, Equiseti foliis nudo, non ramoso iuncea, cuius cauliculis utuntur opifices ad polienda sua opera, vulgo *schachtelhalm* / *schabrisch* / et denique lapide poliente, *polirstein* / sicque erunt praeparatae ad polituram.

§. V.

Modum politurae ipsum priusquam indicare potero, necesse est, ut doceam, quoquo modo, ipsa praeparari debeat politura, ad illam vero rite perficiendam sumendus est manipulus cornu cerui vsti, cretae et gypsi albi tantum, quantum semel iterumque tribus digitis possumus comprehendere, ad haec pro tribus nummis sapo Venetus, itemque cera virginea; his porro addendum est albumen ex quatuor ouis, et adfundendum vinum sublimatum pro tribus nummis; haec omnia bene permiscenda, et denique percolenda sunt cum aqua pura in ollam recentem, et mixtura haec ad usum adseruanda. Ipsam vero polituram peragimus sequentem in modum: Ad manus
fit

fit corium ceruinum, illud intingendum in mixturam iam descriptam, bene commotam, et dicta ratione praeparatum laeuigatumque alabastrum bis vel ter diligenter cumque cura defricandum, sic elegantem emittet splendorem.

§. VI.

Et quoniam contingere potest, vt ex incuria interdum, interdum etiam propter fissuras, aut alio casu, alabastrum, vel marmor, siue alius lapis in partes dilabatur, aut inter caedendum aliqua particula excidatur, non possum, quin doceam, lithocollas quasdam ad ea redintegrandam et explenda vsui esse.

Lithocolle
quae speciatim inseruit alabastrum
albi fragmenta componere:

Adhibeatur alabastrum album, quantum opus erit, id quod redigatur in puluerem, ac infundatur catino argillaceo nouo, ita tamen, vt nulla aquae mixtura fiat, quemadmodum in superioribus demonstraui; posthac inponatur carbonibus, et quam diligentissime agitetur, vsque dum bene percoctum esse deprehendes, cuius certissimum erit signum, quando difficulter ac aegre circumagi patitur, quod etiam statim ab initio fieri solet. Vfus se exferit, in eo, vt praeparati alabastrum accipiamus portionem, illamque pura moueamus aqua, et vt citius deficcare possit, tunc caueamus, ne sit nimis fluida: fragmenta tandem alabaastro linamus, eaque componamus, ac recondamus.

Lithocolle alia
ad lapides diffractos
vel marmora redintegrandos:

Picis, sulphuris, resinae, cerae flauidae partes aequales sumi, et ex his vna post alteram ad ignem liquefieri debet;

debet; deinde eadem portio pulueris lateritii immitti,
et cum cura permisceri potest; frige facta vero repona-
tur ad vsum.

Adhuc alia lithocolla
in similem vsum:

Pro sex nummis refinae Lentisci arboris, item cerae
virgineae, in catino nouo super ignem liquantur, tunc
additur pro eodem pretio psimythium, et bene dili-
genterque massa circumagitur.

Vsus harum Lithocollarum est:

Tam lithocolla, quam fragmenta lapidum ad ignem
calefiunt, dein illa linantur, et debito modo componan-
tur, aquae frigidae immergantur, vel modo ea adspers-
gantur, quo lithocolla induretur.

Tandem ne diutius, quam fas est, his inhaeream, coroni-
dis loco, addo, ne quid ad hanc materiam pertinens deesse vi-
deatur, vernicem, qua inbuuntur mensae spaticeae: accipe
ergo

Gummi laccae,
Gummi sandracae aa. unciam unam semis
Masticis
Balsami Indici aa. unciam semis.

Haec bene contunde, permisce, immitte retortae, adfunde
sextarium spiritus vini rectificatissimi, obline illam, in arenam
super fornacem calidam defode, donec liquefiant omnia, dein
percola, et adde croci, quantum fatis est. Vfus huius vernicis
erit, vt illam tabulae calefactae superfundas, et diligenter in-
frices.

§. VII.

Argumentum ipsum quando adgredior, necessitas flagi-
tat,

tat, vt in maiorem rei notitiam ipsius alabaſtri noſtri locum natalem nunc paucis deſcribam: eſt vero terra Schwartzburgica, quae iacet, in Landgrauiatu Thuringiaco circa flumina Helmam, Wipperam, Helbam, Geram, Jlmam, et Schwartzam, piſcibus diuites, inprimis variolis et fundulis, maximam partem montofa, filuoſa, aruis tamen frugiferis, pinguiſque pascuis vbique permixta: vrbes habet florentiſſimas, oppida nobiliſſima, vicos ac pagos bene aedificatos, ampliſſimosque: piscinae varii generis abundant piſcibus: ſiluae ceruis, et capreis celeribus, aliisque feris ſunt refertae: in agris quoque quam ſaepiſſime offenduntur phaſiani delicati, raraeque tardae: et quod praefiſcini dixerim, eruiuntur ex montibus argentum, cuprum, ferrum, minera chalybis, cobaltum, interdum, etiam aurum, id quod teſtatur praegrandis calix aureus Sondershuſae in archyrotſeca principali adſeruatus, cui haec inſculpta leguntur verba:

Sereniſſimus

Princeps ac Dominus,

Dn. Chriſtianus Guilielmus

Princeps Schwartzburgi

E. IV. Comit. Imp. et Com. Hohnſtein

Dyn. A. S. L. L. et Cl.

Poculum hocce

ex auro terrae patriae

quod Vallis Kolitſchia protulit

in rei memoriam

uſumque

Posterorum Regentium

perennem

conſari fecit

M D C C X I X.

et in

et in fundo huius calicis hi versus legendi:

Integer et constans, et nulla labe notatus,
Aurum ceu nostrum, qui bibit inde, fiet. (*vid. Bruckmanni Magnalia Dei in locis subterraneis. etc. Part. I. p. 182.*)

Diuiditur autem his nostris temporibus in quatuor Dominia, totidemque Regimina; illa iterum in superiora et inferiora, interiacentibus ducatibus Gothano et Vinariensi, Territorio Erfordienfi, et Circulo Thuringico-Electorali: superiora sunt Rudolphstadinum et Arnstadinum; inferiora vero Sondershusanum et Franckenhufanum. Insuper erit notandum, quod nostro tempore Domus Schwartzburgica antiquissima, famaue celebratissima, sit diuisa in binas Domos Principales primarias, Rudolphstadinam et Sondershusanam, illi parent Dominia Rudolphstadinum et Sondershusanum, huic Sondershusanum et Arnstadinum. Hac occasione silentio vix praetermittendus tractus montium ad sex milliaria germanica longus, ab occidente versus meridiem Dominia inferiora transiens, ligno et venatione vtilissimus, die Hainlate dictus, puto Hünenlate melius dicendus, quamuis non inepte Hainlate possit explicari *ei ne Late gegen den Hain oder Wald* / nomen gerens ab immanibus Hunnis, qui sub regimine Imperatoris Henrici Aucupis saeculo decimo regiones has misere vexarunt, ac deuastarunt; hanc in rem quoque adducam vallum ad pagum *Zeche* / rectius *Zeche* / prope Sondershusam, quod ab iisdem Hunnis denominationem suam sumsit, das Hünenthal / communiter et corrupte hodie auditur das Hainthal / Hinthäl / vel Heimenthal / postquam in illo a copiis Saxo-Thuringicis celeriter contractis ad internecionem sunt victi, quo insecutum est praelium ad urbem Merseburgum Io CCCCXXXIII. vbi occisione prorsus sunt ab exercitu imperatorio occisi. Lubet etiam heic in medium proferre putatam antiquitatem quamdam, cui vero fidem addere non possum, quia vix credendum, quod ferrum sub terra tam longissimo temporis spatio rubigine non consumatur; et cum

et cum hoc, cur non etiam alia arma ferrea inueniuntur, quorum tamen sine dubio plurima in praelio hoc acerrimo pedibus equorum sunt proculcata, quae scilicet vulgo nominatur ein Hüneisen. Est vero ferrea illa equi solea, ut ipse oculis vidi, meisque manibus palpavi, longa pollices quinque, lata pollices quatuor, ipsum ferrum vel toto, vel semipollice, pondus denique semunciis vndecim; habens sex foramina clavis accommodata, et vnicum calcem, alter rubigine consumtus qui calces sunt hamati; reperiuntur inprimis ad pagum Hohen- & Bra/ et im Hinthäl; notandum et hoc loco est, quod a vulgo die Hainlate pronuncietur die Hagelate vel Hagere late/ quia agri adiacentes minus sunt fertiles ob fundum sabulosum et lapidosum. In Dominio Rudolphstadio occurrit mons memorabilis situs inter oppida Stadt Jlm et Beren/ quod vltimum praecipue delectamentum venatorium praebet aulae principali Sondershusanae, nominatus der Singerberg/ mons praealtus, aquosus, arboribus maxima ex parte denudatus, famigeratissimus propter arcem quondam diris deuotam, spectra visa, et inprimis thesauros abditos, de quibus omnibus accolae mira et multa fabulosa enarrant; ab illo prospectus admodum amenus est in circumiacentes regiones, montes, colles, filuas, valla, oppida, pagos, reliqua; rusticorum liberi ex vicis proximis certo et statuto vernali tempore quotannis hunc montem frequentant, seque inter pocula hilaria et concentus musicos, choreas ducendo, delectant.

§. VIII.

Iuxta ordinem geographicum hanc tractationem instituire mihi consultissimum fuit visum, quare statim ex finibus Hohnsteinensibus pedem in fero in proximum *Dominium Sondershusanum*, meque recta via confero ad ipsam urbem

Sondershusam, quae est primaria, sedes principalis ad fluvium

uium Wipperam sita anno 1525. post Christum natum, ut creditur, a Saxonibus primum condita, dein muro circumdata, post infelix incendium 1617. bene iterum aedificata cum templo primario ex lapidibus caementitiis in honorem S. S. Trinitatis splendide erecto; etiam ex beneficio ac munere Clementissimi *Guntheri* Principis, iam felicissime regnantis, prudentissimi litteratissimi fundatum donatumque singulari gratia Orphanotropheum. Arx et sedes principalis, Domus vero pro Principibus, qui ex bonis dotem accipiunt, vor appanagirt *Prinzen* / nouissime satisque magnifice exstructa est in vrbe, loco accliu iacet, cuius vtrumque latus vrbs circumcludit, vbi in primis mirandus oecus praegrandis magnificus propter picturas, artificia gypsea vulgo stuccatur-arbeit / et statuas viua magnitudine; in armamentario arcis adhuc adseruatur ethnicum Thuringorum veterum idolum, nominatim Pusterus, der *Püster* / *Püstrich* / cuius metallorum mixtio huc vsque nemini cognita, praefigurans puerum petulantem et horridum, de quo plura vid. in Weberi *Püster*, cum icone istius idoli; principalis hortus quamproxime post arcem superbit copia pomorum *Araufionensium*, variisque fructibus, plantis, arboribus exoticis, floribus rarioribus, uti demum praeterito anno aloe Americana maior in illo floruit, id quod etiam paucis annis ante alia fecit.

Ad hanc urbem eruuntur alabastra sequentia:

- 1.) Alabastrum nitidissimum, durum, densum, lucido-caesium et album, iisdem, etiam luridis, et interdum caeruleis venis, modo maioribus, modo minoribus vel subtilioribus, quod admittit polituram elegantem.
- 2.) Alabastrum quasi marmoratum, marmoriter *Alabaster* / colore pallido-alabandico permixtum albo, propter duritiem optime laeuigatur et politur.

3.) Ala-

3.) Alabastrum coloris pallido-alabandici albo temperatum, spato quam proxime accedens; laeuigatum et politum propter particulas exasperatas, quibus constat, tactu semper erit asperum, minusque gratum.

4.) Alabastrum albicans taeniis caesiis latioribus intersectum.

Dein *Badram*, *Badern* / pagum, in quo sunt bona paterna et auita nobilium de Ruxleben, ad hunc reperiuntur:

1.) Alabastrum albo-caesium, maculis interdum flavidis signatum, constans ex particulis arenosis grassioribus, quare minus bene potest poliri.

2.) Alabastrum fuluum pulcerrimum maculis interdum albis et rubris, venis quoque lucido-caesiis et rubicundis.

3.) Alabastrum pallido-rubrum permixtum maculis rubris et rubicundis.

4.) Alabastrum spateum splendidissimum, flauo colore tinctum, oculis gratissimum, venis albis, quoque eiusmodi maculis rarioribus.

5.) Alabastrum variegatum colore rubro, rubicundo, alabandico, caesio, et albido.

6.) Alabastrum album, item album rubro permixtum.

7.) Alabastrum durum cum taeniis undulatis rubris, rufis, caesiis et flauescentibus.

Neque praetermittendus pagus *Sondershusanus Wallrode* quo in nobiles de Bylen possessiones habent suas.

Heic offenditur Alabastrum album friabile paruulis rosis spateis etiam maculis caesii coloris signatum.

§. IX.

Nunc progredior ad *Dominium Franckenhusanum*, et in illo ad ipsam urbem primariam

a) *Franckenhusam*, muro cinctam, in qua regimen principale, nomen est a Francis, qui prima eius fundamenta iecerunt anno Christi 10XXV. victis Thuringis; vineae ibi vberri-
mae, inprimis fontes salini, incolis praecipuum suppeditant vi-
ctum. Guntherus et Henricus Comites Schwartzburgici pro-
pinqua cognatione coniuncti emerunt hanc urbem praesenti-
bus nummis clō CCCXL. a Comitibus Beichlingensibus, qui-
bus tunc parebat; adiacet ad ipsas radices montis *der Schlachte-
berg* dicti ab occidione rebellium rusticorum sub duce suo Tho-
ma Muntzero, pastore fugituo, qui simul prensus poenas de-
inde luit maleficii, et Mühlhusae capite plexus, quod praelium
fatale clō 10XXV. pugnatum. Optima pars urbis cum arce
principali et templo *die Kloster Kirch* dicto clō 10CLXXXIX. in-
cendio conflagrata, iam vero resecta, inprimis templum splen-
dide est reaedificatum.

Ad hanc urbem inuenitur alabastrum album pulcerri-
mum, densissimum, ideoque eleganter complanari ac poliri
potest.

b) Montis celebris in *Guldenauia*, *die güldene Au* / pro-
pter frugalitatem sic dicta, iniicienda est mentio, qui dicitur
der Riphauer / communiter *der Riphauer* / simulque in illo e-
uersae arcis, *des Riphauer Schlosses* / cuius rudera in hunc vs-
que diem sunt conspicua, inprimis turris quadratae ex lapidi-
bus ad normam conquadratis aedificatae, cognominataeque
Kaiser Friedrichs Thurn / cuius tamen latus meridionale ruinam
minatur, et sacelli; quae satis testantur de eius quondam am-
plitudine, aedificiis, et munitionibus. Arx haec primum
aedi-

aedificata creditur vel a Claudio Druso Romani imperatoris Augusti priuigno, et imperatoris Tiberii fratre, vel a Germanico Claudii Drusi filio quindecim annos ante Christi natiuitatem. Landgrauius Thuringiae Ludouicus, cui nomen inditum *der Springer* / multa mala inde perpeffus eam ipfos tres annos oppugnauit, denique expugnauit, et anno clō CXVIII. deuasta-
uit. Postero quidem tempore a Saxonibus renouata, masculine-
que defenfa, donicum iuffu imperatoris Rudolphi I. cum aliis
fexaginta et fex caftellis praedatoriis in Thuringia clō CC XC.
iterum eft deffrufta; attamen in fequentibus temporibus Ro-
mano-Catholicorum peregrinationes, religionis cauffa, ad fan-
ctam crucem heic adferuatam et fuperftitiofe cultam clō CCCC
LXXXIII. funt inffitutae, quae uero fuperftitio euauit, fuau
luce euangelii exorta, et exinde facellum quoque nouiffime
collapfum eft. Accolis et peregrinantibus inferuit *der Kiphaue*
fer pro indice tempeftatum iuxta tritum illud prouerbum:

Steht Käyser Friedrich ohne Hut / i. e. mons apparet sine
Ift das Wetter schön und gut; nubibus.

Ift er mit dem Hut zu fehn / i. e. mons nubibus obte-
Wird das Wetter nicht befehn. ctus uidetur.

In hoc monte praecipiti, praealto, denudato arboribus, vix e-
nim hic et illic fruticetum betulosum uidetur, conffitutus cir-
cum circa profpicere poteris, et certe maximam capies volupta-
tem ex adfpectu circumiacentium montium tractuum, inpri-
mis Hercynicorum, montium, collium, filuarum, vallorum,
oppidorum, caftellorum, pagorum, quos ad quinquaginta nu-
meraui, camporum frugiferorum, pratorum uiridium. In
medio fere montis obuerti meridiei eft lapidicina principi com-
modiffima, lapides namque ad varias formas, et ad regulam
aptati, fpeciatiim molares inde caeduntur, longe lateque aufer-
runtur; ex hoc ipfo lapide rubro arenoso arx fuit aedificata.

Sed quae nunc dicam de imperatore Friderico I. Barbarossa, de quo se suosque huc diris deuouisse, mensae adfidere barba prolixa vsque ad pedes, quae ipsam mensam transeat, somno quasi indulgente semper nuere capite narratur? quae dicam de spectris adparentibus, abditis thesauris immensissimis, a virgine formosissima facie, corona aurea, gemmis, vestibus pretiosissimis exornata custoditis, multa vero pretiosa, etiam paratas pecunias, partim rapina ablatas, partim tempore belli in tuto huc collocatas, urgente necessitate in terram defossas, vel cellis concameratis occultis abditas, et denique ruinis sepultas esse, nemo sanus negabit; quae dicam de metallis pretiosis, terra auro praegnante, lathyride heic reperienda, qua claustra aperire somniant, et reliquis, quae vel horrorem vel admirationem credulis iniiciunt? ipse ferme sum nescius, nisi hoc, ut merito omnia fabulis vetularum sint adnumeranda.

Ex hoc descripto monte dem Riphauer quoque eruitur alabastrum nigro-caesium, et lucido-caesium albo permixtum, propter particularum arenosarum subtilium compactionem admittens elegantem polituram.

c) Denique consideratio est habenda illius in Guldenauia oppidi, quod *Kelbra* auditur, quasi dicas *Kälber Au* ob pascua pingua; muro illud est cinctum, Helmae fluuio adsitum cum arce ruinosa, praefecturaque principali. Heic quondam florebat Abbatia virginum ordinis Cisterciensis in honorem St. Georgii a Friderico III. Comite Beichlingo-Rotenburgensi saeculo XIII. fundata, a rebellibus rusticis depopulata et destructa est clo 10 XXV. His nostris diebus nobiles de *Arenswald* et de *Krafft* in hoc oppido fruuntur bonis egregiis. In monte praerupto, praealto, arboroso, et eodem, in quo positum fuerat supra descriptum castellum Riphauer / vix enim vnam horulam a se inuicem distant, oppido proximo adhuc videnda rudera
fatis

satis conspicua der Rotenburg arcis olim celeberrimae, antiquissimae, sedis per aliquot tempus Comitum de Beichlingen et Rotenburg / euerfae clo CCXCII. a Rudolpho I. imperatore. In hac ipsa arce montana priscis temporibus constitutum fuit suo loco commemoratum ac delineatum idolum der Püstrich / quod Thuringi ethnici venerabundi coluerunt.

Ad dictum oppidum **Kelbra** reperitur alabastrum elegantissimum rufo-album, quod varium, als gemasert / adspicitur; laeuigationi ac politurae subiectum adparet splendidissimum.

d) Pagus heic quoque commemorandus est **Steinthalleben** / ad quem inuenitur

1.) Alabastrum albicans ex particulis grassioribus et horridioribus concretum, quare polituram aegre patitur.

2.) Alabastrum pallido-fuluum cum intermixto lucido-canofo, ex iisdem iam commeratis particulis conflatum, hinc quoque idem vitium ratione politurae in hoc aeque deprehendes.

3.) Alabastrum albo-caesium flammidum, elegans et durum,

§. X.

Transeo ex Dominiis inferioribus ad Dominium superius Rudolphstadinum, ex quo prae omnibus reliquis adduci meretur

Das Schloß Schwarzburg / arx praecipiti et altissimo saxo insita, quod praeterfluit, vel potius fere circumfluit flumen
die

die Schwarze / domus natalis Comitum Schwartzburgicorum, condita 10 CCC. a Carolo seniore filio Witekindi Nigri Saxonum ducis, qui propinqua cognatione coniunctus fertur cum Witekindo Magno, victus et captus a Carolo Magno 10 CCLXXIX. de sacro fonte lauatus nomen accepit Ludouicus, donatus, uti communis fert opinio, ab imperatore his aliisque regionibus, quas haereditarias filiis suis duobus, in sacro baptismo nominatis, Carolo et Ludouico reliquit, qui ultimus auctor generis Comitialis Gleichenfis, in Ioanne Ludouico 10 CXXXI. iam extincti, perhibetur. Crebris oppugnationibus, iniuria temporum, immo ipsa vetustate fere dilapsa sub regimine Principis Alberti Antonii iterum resecta, beneque exornata; verum enim vero fatali incendio 10 CCXXVII. ferme deleta, et imprimis dolemus sacellum magnificum, quod aequae flammis conflagratum, cuius ara, suggestum, baptisterium, podia, columnae, et exornationes aliae ex elegantissimis marmoribus, quorum descriptio statim insequetur, fabricata ab artificibus adprime exercitatis; sed omnia, quae ignis perdidit et deleuit, nouissime instituuntur.

Ex huius vicinia alabastri caeduntur sequentes, omnes et singuli nitidissimi, adspectu pulcerrimi:

- 1.) Alabastrum albo-caesium, maculis spaticis caesiis minoribus insparfis.
- 2.) Alabastrum variegatum album, lucido-puniceum, et lucido-caesium, cum venis lucido-caesiis subtilibus.
- 3.) Alabastrum lucido-puniceum cum maculis albis paruis, et venis lucido-caesiis, etiam fuscis, modo gracilioribus, modo amplioribus, non minus maculis spaticis paruis simili colore.

4.) Ala-

- 4.) Alabastrum spaticum lucido-caesium, et obscuro-caesium cum venis albis subtilioribus.
- 5.) Alabastrum caesium albicans cum virgis nigris, et nigricantibus, rubris et flavis, rarioribus quidem et subtilioribus, item fusco-caesiis, discussis quasi, pictores vocant zertrieben / interfecantibus lucido-caesiis, et fusco-caesiis venis.
- 6.) Alabastrum caesium albicans et fusco-caesium late virgatum, intermistis virgis arctioribus pallido-rubris, rubris, et caesio-nigricantibus.
- 7.) Alabastrum cineraceum cum maculis fusco-caesiis maioribus, insparsis miculis spaticis rarioribus rubri coloris.
- 8.) Alabastrum nitidum, duritie marmori vix cedens, fusco-rubrum, fere nigrum, maculis figlini coloris, interdum quoque maculis coloris cinerei rarioribus signatum.
- 9.) Alabastrum gratissimum, durissimum, laeuissimum, albiissimum, cum virgis angustioribus undulatis rubris, rubicundis, rutulis, cinereis, et flavis; colores ad extremitates virgarum adparent quasi penicillo deducti, zertrieben.
- 10.) Alabastrum ipsa niue candidius, durissimum, cum rubris virgis fere rectilineis, modo latioribus, modo arctioribus.
- 11.) Alabastrum cinereum intersparsis flammis rubris et rubicundis, modo maioribus, modo minoribus.

Omnes iam descripti alabaſtri propter particularum illos constituentium ſubtilitatem, firmitatem, compactionem admittunt polituram excellentem; viſui ſunt iucundiſſimi, tactui molliſſimi.

§. XI.

Denique promiſſi mei memor his ſubneſto Catalogum rerum naturalium in terris Schwartzburgicis reperiendarum ab Amico curioſo mecum beneuole communicatum, additis iis, quae mihi illas terras iterum iterumque peragranti occurrerunt, quaeque ipſe collegi, et in ſcrinio meo rebus naturae curioſis addiſto vna cum aliis reſoſui. Liceat vero eodem ſupra com-
placito ordine geographico nunc vti, ſimulque non indicare ſolum, ſed etiam ſecundum notabilia deſcribere, niſi iam in ſuperioribus ſit factum, cuiusuis rei, vti naturae amatores vocare conſueſuerunt, locum natalem, vbi reſeritur; his praemiſſis ad rem ipſam me accingo, quare primum ingrediendum erit

a) Dominium Sondershuſanum, et in hoc commemoranda

Sondershuſa, vide eam deſcriptam ſupra ad hanc urbem reperiuntur: Conchae ſtriatae, maiores et minores, Conchites tam laeuibus quam ſtriatis conchis in ſuperficie lapidis cinerei duriffimi ſigniti, Trochites, Terebratulae, Solenitae, Aetites, Dendritae, et eſt lapis calcarius albus, ſed minus eleganter pictae, Trigonellae, Conchae anomiae duriffimo lapidi caeſio incluſae, Turbinitae elegantiffimi in lapidicina verſus meridiem lapidi arenolo albicanti concluſi, maiores, minores, mini-
mi, helicibus compreſſis et diuulſis, Figura I. oſtendit tibi prioris rariorem immo rariffimum ad nouem pollices longum di-
cto

Et loco inuentum stratum turbinitarum minimorum et nitidorum pollicem grassum, inclusum lapidi cineraceo durissimo, Conchae lapideae maiores minoresue, Lapis caesarius, Lapis Zingiberi, Lapis radicem figurans, hinc nominatus *der Wurzelstein* / Vnicornu fossile terrae argillaceae rubrae inclusum, de quo inter alia vidi fragmenta ossium grandiorum, etiam dentem Hippopotami, vel vt Langius vocat Odontopetram molarum maiorem striatum longissimum, denique glacies Mariae alba et flaua.

Der Frauenberg mons altissimus et vrbi proximus, satis superque celebris castello quondam munitissimo appellato *die Seheburg* / quod nomen accepit a dea Sehe / idolo ethnico, a Sancto Bonifacio Thuringorum Apostolo 10 CC XIV. destructo, quod fundatum fuerat 10 CCCLXIII. a Ludouico, rege Germaniae, filio Ludouici Germanici, et nepote imperatoris Ludouici I. Pii cognominati, ab Hunnorum exercitu ad quinquaginta millia 10 CCCXXXII. oppugnatum et expugnatum, atque fundamentis disiectum, cui vastationi statim insecutum praelium acerrimum in *Hünenthal* iam supra commemoratum; iuxta hoc castellum ab eodem Ludouico, qui per aliquot tempus hic sedem habuit suam, fundatum Collegium Mariae Virginis cum templo *das liebe Frauen Stift* / hinc nomen montis enatum; Praeposituram vero cum templo ad montem instituit imperator Otto I. vel Magnus in honorem Sancti Petri et Pauli pro monachis Benedictinis, horum loco deinde archiepiscopus Moguntinus Willigis, carpentarii filius, qui vbique humiliatio- nis gratia rotam pingi voluit, cum epigraphe:

Willigis, Willigis,
Deiner Anfunfft nicht vergiß.

10 IV. constituit Canonicos regulares, quae a rusticis rebelli-
bus

bus clō lo XXV. exspoliata, denique clō lo XCII. reformata et confiscata. Superest pagus Ziche melius Zechē praefecturae Sondershusanae, cuius templum ruinam minans quum clō lo CCXXVIII. nouissime exstrueretur, inque hunc vsum collapsorum aedificiorum antiquorum lapides eruerentur, simul aliqua portio nummorum bracteatorum reperiretur, qui maxima ex parte in manus aurifabrorum peruenerunt, et ita perierunt, quod omnino est dolendum.

Hoc in monte dem Frauenberg maxima copia turbinitae laeues, coloris albicantis, vix pollicem longae et vacuae, colligi possunt, non minus lapides stellares albi, conchae striatae minores, et musculitae.

Grossen Furra heic inferere volui, qui ab vrbe ipsam horam abest, pagus amplus, frugiferis aruis et pratis pinguibus, hortisque multarum arborum vmbra et proceritate amenis circumdatus, obiectis montibus siluestribus, cuius in vicinitate Wipperia labitur. In hoc nobiles de Wurmb antiquitate generis et gloria maiorum, cui symbolum vere adtribui potest: *Ex utroque Caesar*: maxime florentes habent possessiones, feudum electorale Saxonicum, paternas et auitas, fructuosas, satisque commodas, cum viridariis iucundissimis, instructissimisque, non minus exornatis cryptis, fontibus salientibus artificiosis, reliqua, quae omnia ante aliquot iam annos maxima cum voluptate perlustraui.

Ad hunc locum offenduntur cochleae lapideae paruae, et fons dictus der Goldbrunn / scatens in valle iucundissima, solet quaeque crusta lapidea alba vel topho inducere, et instar aquarum Tiuolarum in Italia varias formare figuras tophaceas bellaria apte imitantes: nomen ei inditum, quia quondam in stomacho anatis
tria

tria granula aurea sunt reperta, quae adfuevit his infidere aquis, et alimentum quaerere suum, nec dubitans adfirmo, quin impetus aquae illa in terra abluerit, secumque abstulerit, vt hoc modo anas eorum particeps sit facta.

Oberspier pagus praefecturae Sondershusanae, ad quem inueniuntur: Cornua Ammonis, quorum nonnullorum diameter vltra sex pollices habet, Conchae striatae et laeues, maiores et minores, sed minus elegantes, gryphitae, et solenes incuruati.

Niederspier pagus eiusdem praefecturae, vbi in villa principali optima falcones adseruantur in delectationem aulae; ad quem colliguntur: Conchae striatae duplicatae, Conchae laeues, gryphitae, lapis fulmineus vel Ceraunius, rubrum vel puniceum, marmor conchiticum, Lapis radicem figurans, Wurzelstein / pyritae et filices variorum colorum.

Greußen oppidum muratum ad fluuium Helbam, post infelix incendium 1610 CLXXXVII. bene iterum aedificatum simul cum templo et curia.

Ad hoc effoditur topus, copia et abundantia magna, cum vel sine cochleis; et pace tua, beneuole lector, dixerim, quando hac occasione quandam infero singularitatem in topheo quondam inuentam; nidum scilicet auis, cui insita fuere tria ouula, repraesentatum fuisse curiosis ab incolis nobilis illius oppidi murati Kindelbruck, ditionis Leucopedrensis; alia praeterea ibidem reperta oua petrefacta coloris glauci, quae anataria habita, testante Büttnero in Ruderibus diluuii testibus. vid. quoque Erasmi Francisci Ost, und West, Indischen Staats, und Lust, Garten Part. I.

Klingen oppidum praefecturale muro cinctum ad flumen Helbam cum arce, quam Guntherus Comes Schwartzburgicus clō 10 XLII. exstruere voluit, sed imperfectam reliquit, igitur reliquiae iam tempestatibus consumuntur; iure ciuitatis clō CCLXXXII. donatum est.

Ex agris huic vicinis Osteocolla effoditur tanta copia, vt ipse oppidi murus ex illa magnam partem sit constructus, et currus quadrigarum illa onerentur, et passim transportentur ad cryptas, fontes, non minus praecipites aquae lapsus, vulgo Cascade, exornandos, etiam constructioni aedium inseruit.

Holz-Engel pagus praefecturae Klingensis, in cuius proximitate reperies Dendritem, qui est genus marmoris Florentini, et quidem lapis caesus, lubricus, et tactu non aliter ac sapo Venetus, fruticeta vero et arbusculae, interdum quoque in illo quasi apum examina conspiciuntur, eleganter colore nigro depictae ipsum penetrant lapidem, et non in superficie modo, vti communiter fit, haerent, vide Figuram II. porro Bufonitem, Trigonellas, Trochitem, Conchas laeues et striatas, Cochleas paruas, Anomias laeues, Marmor ex variis conchis concretum, Solenes incuruatos formosissimos, Medullam saxorum, Terram tripolitanam, CrySTALLUM, et denique lapidem variegatum multis ex aliis conflatum minoribus.

Thüringhausen eiusdem praefecturae pagus, vbi inuenies: Cornua Ammonis, Trigonellas, Conchas laeues et striatas vel maioris vel minoris magnitudinis.

Grossen-Christig oppidum incendiis frequentioribus notum, flumini Helbae adiacens, cui anno clō 10 LXXXVII. pons lapideus inpositus; In hoc nobiles *de Todtleben* bona habent paterna et auida.

Terra

Terra circumiecta offeret curioso res naturales sequentes: Cornua Ammonis maiora et minora, Conchas laeues et striatas, similiter cochleas lapideas maiores ac minores, Anomias, Trigonellas, solenes incuruatos; sed lapis, cui haec inclusa coloris cinerei, ipso marmore durior, et non, nisi maxima vi, diuelli potest.

Reiſa oppidulum praefecturale ſine muris cum arce, quondam ſede tunc temporis Comitſ Antonii Guntheri, quam deinde Arnſtadium hinc tranſtulit, iam Henrici Principis Schwartzburgici. Ruſtici rebelles clo 15 XXV. largam ſibi hic parabant dapem, quae et vltima fuit, quam vocamus die Henckers-Mahlzeit / nam non ita multo poſt praelium Franckenhufanum fiebat, quum piſces ex piſcinis raptos in ahenis cereuiſiario coxerunt, et ita ventrem illis compleuerunt.

Circa hoc leguntur Trochitae, Conchae ſtriatae non adeo venuſtae, Maſſa concharum laeuium, ſtriatarum, Oſtrearum, trochorum, viſui certe gratiſſima, quam vocare liceat Muſchel-Marmor / ob duritiem enim aegerrime poſteſ tractari, laeuigata vero aequae iucunda, ac marmor conchis praegnans Maſlenſe in Sileſia, der Maſſeliſche Muſchel-Marmor.

Groſſen Bodungen / praefecturale oppidum muro carens cum arce, ad quod mons eſt, qui auditur, die Haſenburg / vbi legere poteris Conchas laeues et ſtriatas minores, maioresue, Trigonellas, lapidem album cuius in ſuperficie ſtellae quinquangulares minores abundanter adparent, et in agris vicinis verſus pagum Wallrode iaſpidem albo-rubrum.

b) Dominium Franckenhufanum, in hoc eſt

Vrbs

Urbs **Frankenhausen** / ad hanc inuentus Aetites oualis, lapis est asper et verrucosus, coloris ferruginei.

Der Riphäuser / vide supra; certus auctor de hoc monte ita scripsit: unten am Riphäuser Berg ist ein Birnbaum zu sehen / dessen wurzel gleichsam petrificirt ist. Quamuis autem in eo rarae sint admodum arbores, et egomet ipse dicto loco cum cura quaesiuerim arborem, illam tamen aequè minus inueni, ac Imperatoris Friderici thesauros.

Steinthalleben pagus Franckenhusanae praefecturae, ad quem colliguntur: Lapis fissilis praefigurans pisces, fodinae vero iam incultae iacent, Pyritae et Silices varii coloris, quoque Smyris.

Günserode / alii scribunt **Geißrode** / pagus praefecturae Arensburgensis in valle altitudine praerupta; huic oppositus est mons, cognominatus **der Bonifacienberg** / sine dubio, quia Sanctus Bonifacius in hoc sacellum struxisse fertur, cuius vero nulla omnino supersunt rudera; ibi adhuc hodie offendes, rarius quamuis, olim vero maxima fuerunt copia, ita vt pueris lusui inseruierint, trochos, qui ideo his in terris **Bonifacien Pfennige** audiuntur. In monte, meridiei obuerso, in itinere illum transiens reperi casu Ammonis Cornu lineis vndulatis quasi caelatis excellenter efformatum, videatur **Figura III.** et circumiacens terra illis abundat, in proximo enim vico **Vibingsleben** in colle, cui inpositum est templum, inprimis in lapidicina eiusmodi occurrunt, sicuti etiam quondam maxilla magna cum suis dentibus reperta, et lapis ille, cui fuit inclusa, hodiernum potest videri in altera vici porta.

e) **Dominium Arnstadinum**, in hoc

Arnstadt

Arnstadt quasi Alderstadt / quemadmodum etiam vrbis insignae est aquila simpla nigri coloris in scuto aureo adparens: vrbs nobilissima, muro anno clō CCC XXX. septa, ampla, optime aedificata, iucundissima, polita, litterata, victum facillime suppeditans propter mercaturam florentem et braxationem, ad radices montium Thuringicorum sita, agris optimis et vberri-
mis, vineis sublimibus et collinis feracissimis, hortis amenissi-
mis circumdata, quam praeterfluit fluuius die Gera truttis in-
primis nobilibus abundans, amnis vero die Weisse adpellatus
ipsa moenia interfuit. Primum condita creditur a *Merwigio*
rege Francorum, qui circa medium saeculi quinti post natum
Christum vixit, hinc poeta:

Merwigijs rex est Francorum conditor vrbis
Arnstadiae, reliqua.

Superbit publicis aedificiis magnificis, nempe *arce principali* à
Gunthero Bellicoso Comite Schwartzburgico clō lō LVII. ex-
structa, turri altissima firmissimaque ornata, qua in conclaue
monetarum, das Münz Cabinet / tota Europa fama celebra-
tum, pretiosissimarum, rarissimarum, numerosissimarum, or-
dinatissimarum, a Principe Antonio Gunthero maxima cura et
maximis sumtibus collectarum, quarum praecipua pars paucos
ante annos pro numerata pecunia Gotham in arcem *Friedenstein*
hinc translata; vt et Bibliotheca non solum libris historicis, ge-
nealogicis, geographicis, et numismaticis, sed etiam eximiis
ac venerandae vetustatis quibusdam codicibus differta: arci
adiacet viridarium spatiosum, iamque bene cultum; ad por-
tam, qua ex vrbe patet introitus in arcem, stat tilia patulis dif-
fusa ramis, praealta, tres habens casas frondeas, quarum vna
alteri artificiose est superstructa. *Templis*, praesertim templo
monachorum discalceatorum quondam nunc primario, in quo
sepulcretum comitiale haereditarium, ara, suggestus, baptiste-
rium,

rium, organum pneumaticum, podium principale, bibliotheca videri omnino merentur, fundatum est c^{lo} CCXLVI. monasterium vero hodie dicatum scholae publicae, quae semper floruit, et Rectores habuit celeberrimos, donataque legatis praeclaris; templo Mariae tribus turribus ornato; et denique templo Sancti Bonifacii, qui circa annum I^o CCXVII. euangelium Christi huius terrae incolis adnunciauit, nunc dicitur *die neue Kirch* ob restaurationem, vti haec testatur inscriptio:

D. F. S.

Hoc templum A. C. MCCCCXLIV. amplificatum, die VII. Augusti MDLXXXI. concrematum ad omnipotentis gloriam sub regimine illustriss. Ludouici Guntheri Schwartzburgici, sumtibus potissimum illustriss. Sophiae Dorotheae viduae A. O. R. MDC LXXVI. turbas inter bellicas reparatur.

Porro *Curia* splendida, statuis, picturis, inscriptionibus et versibus sententiosis extra intraque decorata, exemplo sit Moses pictus cum legum tabulis, his adscriptis versibus:

Legifer hic Moses tibi denotat esse Tonantis
seruandam vocem praecipiendo grauem.
Legibus armatur venerandus in vrbe Senatus
hinc et iustitiae iungitur Amramides.

Adhuc Iustitia oculis obstrictis manu dextra tenens gladium,
sinistra libram, vlnam, et modium, hoc addito epigrammate:

Quid sibi vult Nemesis? quid libra? quid ensis? vt almo
subdere te discas Numinis imperio.

Quod

Quod nisi praestiteris, fallendo lance vel vlna
iniuste, praefens poena parata manet.

Tandem haec vitae regula summe necessaria:

Viuendum caute, fallax est frontis imago,
Philtraque ridenti saepe sub ore latent.
Melleus est sermo, sed et imo corde venenum,
Os nectar promit, mens aconita vomit.

Neque minus automato artificiali, in frontispicio enim curiae
aquila sculptilis, quam vrbis insigne diximus, conspicitur, quae
iactat alas tintinnabulis ornatas, quando hora completa audi-
tur.

His aedificiis publicis adiungere libet molam Guntheri die Günü-
thersmühl a laudatissimo et illustrissimo Gunthero Bellicoso
clo 10 LXXII. exstructa, vti quondam inscriptus rhythmus in-
dicauit:

Die Günthersmühl bin ich genannt/
Dergleichen ist nicht in Deutschland.

Et supra fores versus aream adhuc videntur litterae cancella-
tae lapidi incisae GL. id est Guntherus et vxor eius Catharina,
adscripto anno 1572. ideo memorabilis, quia sedecim rotas ha-
bet, quarum octo directae überschlägtig/ et octo retrogradae
unterschlägtig/ his insuper additae duae cum mola ferraria. De
cereuisia triticea, quam Nicolaus Fischer consul Arnstadiensis
clo 10 CXVII. primus coquere docuit, longe lateque miris lau-
dibus celebrata, poeta ita canit:

Vrbs quoque triticea potum de messe probatum
decoquit, et credas, non grauitate caret.

Et quid Breyhanus, cereuisia cetera? numquam
adsequitur laudem, quam liquor hicce meret.
At si sanus eris, quoque sanus et esse videris,
fidere nolito, ni resupinus eris.
Sed modice sumtus refocillat corporis artus,
sin minus ingenium, quod labefactat, habet.

Et quemadmodum casus et natura in hominibus rebusque hu-
manis dominantur, ita etiam vrbs haec optima fatalia multa
perpeffa, ex quibus tantummodo commemorabo incendium
illud crudele, quod clolo LXXXI. Ioannes Nebel/ cuius vero
nomen aequè potius celandum est posteris ac Herostrati sce-
leratissimi incendiarii templi illius Ephesini splendidissimi et
magnificentissimi, maledicto fecit consilio, quo domicilia tre-
centa octoginta et septem, nonaginta et quatuor horrea, tem-
plum Sancti Bonifacii, schola, curia, pharmacopolia corrupta
atque vastata; duo hinc enata chronodisticha:

In CIneres abIt nVnC arnstaDia Vafri
aC stoLIDVM fLagrans ConVLIs Igne sVI,

* * *

AetopoLLs faeVos VastatVr aMoena per Ignes,
eheV non sentIs, qVanta sIt Ira Del.

Ceterum singularia vrbs Arnstadii his poeta inclusit versibus:

Arx, templum, librique, numismata, curia, fontes, Porti-
cus, atque molae, phasiani, vinea, truttae, Hortus cum ti-
liis sunt Arnstadiensia pulcra. Das Schloß/ die Kirchen/
Cabinet/ die Bücher/ schöne Quellen/ das Rathhaus/ Mühe-
le/ Gallerie, Ganssen und Forellen/ Weinberge/ Gärten/
Hammerwerck/ kan man alhier fürstellen.

In montibus vrbi vicinis quondam ipse reperi Cornua Ammonis, Conchas venereas, Anomias laeues, Conchas striatas, Lapidem refertum pectunculitis et trochitis; sic quoque lego, sulphur natium iam vt effodiat; et suauem adhuc habeo recordationem conchae striatae duplicatae certe nitidissimae simul cum matrice sua, intra moenia vestra repertae, quam mihi Te conuenienti honoratissime Fautor ostendisti, vide sis Figur. IV.

Nunc de itinere meo geographico et curioso, neque minus conquisitione lapidum figuratorum, rerumque naturalium fessus libentissime diuerterem ad domum Tuam, Venerande *Oleari*, quum illa mihi Arnstadium transeunti semel iterumque pro Tua benignitate, humanitate ac hospitalitate laudabili patuit; meque recrearem sermonibus Tuis doctissimis, perlustratione instructissimae bibliothecae Tuae, numismatum rarissimorum, et rerum naturalium lectissimarum, nisi tempore excluderetur, meque necessitas vrgeret, iter meum susceptum conficere, quare sequentia tantum adiicienda.

Die Augustburg villa cum laeto viridario semimilliare ab vrbe Arnstadio distans, clo CC. belle aedificata ab Augusta Dorothea Antonii Guntheri Principis Schwartzburgici vxore, et Principe filia Antonii Vlrici Ducis Brunsvico-Luneburgici, ita adpellationem suam trahit ex nomine Auētricis, quae etiam adhuc vidua sedem in illa habuit suam; sita est ad montem, cui priscis temporibus, vix enim rudera quaedam supersunt, imposita fuit castellum die Kaserburg / domus natalis illustrissimorum Comitum inde nominatorum, qui iam circa medium saeculi quinti in Thuringia floruerunt, Comes vero *Haug* vel Hugo anno Christi 10 CC XXVIII. a Sancto Bonifacio Christianus baptismate initiatus; vltimus erat Guntherus, qui ex Terra

Sancta rediturus in itinere clō CCC LXXXIII. demortuus, corpus exanimatum huc et porro in monasterium Ordinis Cisterciensis Georgenthal / quae Abbatia, iam Praefectura Saxo-Gothana, a Sizzone vel Sittig Comite Kefernburgensi clō XLII. fuerat fundata, translatum, cumque insigne fracto mit zerbrochenen Schild und Helm pro more a maioribus tradito terrae mandatum; quare Landgravius Thuringiae Balthasar castellum die Kefernburg cum pertinentibus ac feudum a viris vacuum publicabat, Dux vero Wilhelmus Saxoniae illud pro parata pecunia Domui Schwartzburgicae clō CCCC XLVI. vendidit, cui etiam in hunc vsque diem paret. Praeterea Comites Kefernburgenses et Schwartzburgici a nonnullis historicis eiusdem habentur originis, quia eodem insigne vfi, quod erat leo aureus capite dextram obuerso in scuto caeruleo adparens, casside tecto, quae ornata est pictis plumis pauonum, itemque furca et pectine. Castellum dictum, cuius situs admodum iucundus fuit, adiuncto nemore, quod vestitur quercu, circa annum CCCCLIV. exstructum, iussu imperatoris Rudolphi Hapsburgici anno clō CCXC. cum aliis vastatum putatur. Vallis ad villam descriptam der Augustburg hodie adpellatur das Dorotheenthal in honorem et memoriam commemoratae Principis Augustae Dorotheae, quae etiam in hac instituit fabricam vasorum fictilium Sinicorum, eine Porcelain-Fabrique, nostro adhuc tempore florentem.

In agris proximis aliquando legi Cornua Ammonis et Conchas simplices laeues.

Reinsfeld pagus praefecturae Arnstadiensis in cuius vicinis montibus altissimis et praeruptissimis offendi Cornua Ammonis, Conchas simplices laeues et striatas, inprimis Turbinitas quamplurimos, aequae, vt supra indicauimus, vacuos.

§. XII.

Tandem cum animum induxerim meum, ne nimis ver-
bosus nauseam Lectori beneuolo creem, calamum de manu
ponere, et huius scripturae finem facere, recordor officii mei,
quod superest, nimirum ad Deum vt fundam vota pientissima
pro Tua, *Vir maxime Reuerende*, vita cuilibet bono exoptatissi-
ma, pro incolumitate et felicitate Tua constanti, proque flore
Tuo perpetuo. Faxit itaque Deus optimus maximus, vt
valeas, vigeasque quam prosperrime et diutissime, vt fruaris
bonis exquisitissimis omnibus, vt sis maneasque, quemadmo-
dum docti *Olearii* semper fuerunt, ecclesiae columen, Mu-
sis Moecenas, et orbis litterati decus indelebile; sic precor,
sic voueo;

Sint rata, faxit, qui bene cuncta facit!




Fig. I.



II



III.



IV.



